

Johannes Olthoff Hermannus Eyben

Disputationum Ontologicarum Secunda De Entis Conseptu

Rostochi[i]: Pedanus, 1619

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729260356>

Druck Freier  Zugang



F. Olthoff.
R. U. phil. 1619.

D. T. O. M. F. A.
Disputationum Ontologicarum
SECUNDA

DE ENTIS
CONCEPTU.

QUAM

In Inclyta Rosarum Academia

*Consensu & auctoritate Amplissimi ibidem
Senatus Philosophici*

PRÆSIDE

M. JOHANNES OLTHOFF.

TUEBITUR

HERMANNUS EYBEN

Frisius Orient.

*Habebitur disputatio 20. Martij
horis & loco consuetis.*



ROSTOCHI

*Excudebat JOACHIMUS PEDANUS,
ANNO M. DC. XIX.*



Corollaria.

1. Philosophia homini Christiano, & imprimis Theologo maxime necessaria est, nec quisquam Philosophiam criminatur, quam qui ejus ignarus, & sibi metuit à veritate argumentorum, quibus se opponere non potest.

2. Philosophus nondum regeneratus ex natura lumine & mundi contemplatione certo potest cognoscere esse Deum.

3. Necessario danda est aliqua disciplina, qua agat de Ente in sua latitudine sumpto, ea autem est Metaphysica.

4. Metaphysica inter omnes disciplinas quam maxime appetitur naturali scientia desiderio.

5. Ens rationis & Ens per accidens, cum tantum equivocè sint Entia, Metaphysices subjectum esse nequeunt, multo minus intelligibile, ut falsò Impletus, genus Entis dicendum est.

6. Angeli in loco esse minus rectè dicuntur.


7. Principium ^{impossibile} ~~est~~ est idem simul esse & non esse.

8. Totum non est majus suis partibus.

9. Non entis nulla sunt accidentia.

10. Inter substantiam & accidens non datur medium.

Eru-



Eruditione morumq̄, probitate Ornatissimo
Dn. RESPONDENTI,
populari ac Contubernali meo integerrimo gratulor.



*Mpiger Eybenides dura dum tedia sortis
Aspicias, Eusebia latices Sophiæq̄ lacunas
Amulus Aonidum vegeto conamine anhelas.
Non via virtutis densis obsessa salebris
Te flectit, nec iners ferventia pectora torpor
Stringit, at immodicis, quæ constant præmia rebus
Sæpius exstimulant præcordia mole laborum,
Hos subis assiduis nunquam vestigia tardans;
Hos agis intrepidus solida ad fastigia tendens.
Hoc opus, hic labor est, studio infractoḡ labore
Scandere multijugo molimine Palladis arcem.
Scilicet ulterius pelago moderante carinam
Olythofio immittis Sophia ter in arte Magistro,
Consilio & votis aspiret divus Apollo,
Sic Mœcenatum captabis suaviter auram,
Aura subest, speres cura non deside palmam.*

Gellius Foccius.
Frisius.





Disputationum Ontologicarum

SECUNDA

DE ENTE.

RESPONDENTE

HERMANNO EYBEN

Frisio.

THESIS I.



Um itaq, hęc, quam diximus, sit utilitas & dignitas Ontologica, quid quaso impedit, quo minus hanc scientiam nobis commendatam habeamus? Sed verò à subjecto initium faciamus, cum in quavis scientia tria consideranda sint, subjectum, principia & affectiones.

2. Subjectum Ontologica diximus Ens qua Ens reale, & per se commune tam DEO quam creaturis, tam substantia quam Accidenti, explicandum itaq, erit Ens hoc loco eiq, peculiaris tractatio assignanda, siquidem Ontologica prima est & suprema scientiarum, ideoq, suum subjectum è superiori quadam scientia petere non potest.

3. Illud verò non uno modo sumitur à Philosophis. Vel enim sumitur Nominaliter, vel Participialiter. Quando sumitur ut Participium, existentiam conjunctam cum Essentia, hoc est, Ens actu significat. Inde est Regula Logicorum: Ens secundi adjecti nunquam absolvitur à tempore. Quando sumitur ut nomen verbale, essentiam sine existentia mentione denotat. Hoc enim participialiter significat actualem usum vitę,

D

nomina-

nominaliter sumptum significat solum id, quod habet naturam, quae potest esse vitalis operationis principium.

4. In priori significatione, quatenus participium est, usurpatur in definitione motus 3. Phyl. in posteriori, quatenus nomen est h. l. accipitur.

5. Ad Entis verò definitionem antequam nos conferamus, quedam de conceptu Entis praefabimur, & ita facilius ad definitionis investigationem perveniemus.

6. Conceptus inde dicitur, quod sit veluti proles mentis. Entis autem conceptum omnium primum esse dicimus, quod ita probamus: Quod pueri omnium rerum ignari concipiunt illud omnium conceptuum est primum. Atqui cum pueri queruntur, quid hac vel illa res sit, concipiunt & intelligunt esse Ens, Es ist ein Ding. E.

7. Idq. ita à natura fieri justum erat, ut scil. ab imperfectissimo & generalissimo incipiamus. Atqui conceptus Entis est talis. E. ab eo initium faciendum. Major constat ex 3. de anima. intellectus enim conjunctus semper progreditur ab imperfecto ad perfectum, aliàs consequens esset intellectum demum perfici in ultimo aliquo perfectissimo. At verò cui semper aliquid potest superaddi, illud non dicitur perfectissimum, ideoq. nec Entis conceptus erit perfectissimus.

8. Sed nec solum est perfectissimus, verum etiam est omnium imperfectissimus, quoniam reliqui conceptus omnes superaddunt aliquid conceptui Entis. Quemadmodum enim species perfectior est genere, quod in illius constitutione generi aliquid superaddatur, ita & conceptus particularis propter eandem rationem universali perfectior statuendus est. Hinc conceptui Entis conceptus substantia, conceptus Accidentis, & hujus vel qualitatis vel quantitatis superadditur, & hinc conceptus substantia est perfectior Entis conceptu.

9. Cae.

Entis Conceptus
et primum

9. Cæterum conceptus est duplex. Alius formalis, c
alius objectivus. Caietanus in comm. de Ente & Essent. z
eum vocat Objectalem. Rectius diceretur res Objecta; non
enim verè concipitur, sed est.

10. Conceptus Formalis, definiente Caietano, est c
idolum quoddam, quod intellectus possibilis format in seipsum
representativum objectaliter rei intellectæ. Clarius ita cape:
est imago sive representatio rei extra mentem meam posita.
Conceptus objectivus definiente Caietano, est res per con- z
ceptum formalem representata in illo terminans actum intelli-
gendi, vel ut manifestius dicam, conceptus objectivus est ipsa
res seu objectum quod intelligitur sive quatenus intelligitur. E.
g. Equus vel canis dicitur conceptus objectivus, quatenus verò
per intellectum abstraham imaginem quandam aut Equi aut
Canis dicitur conceptus formalis, propterea, quia imago qua-
dam in mente mea formata est per abstractionem à materia
canis vel equi.

11. Hic conceptus ab homine concipi debet intellectu
sibi propriâ, quod ut intelligas, notabis cognitionem esse vel
potentialem vel actualem. Potentialis est, quando rei for-
mam seu speciem intellectu nostro hausimus, rem tamen ipsam
quoad Essentiam non intelligimus (quia habemus tantum si-
mulachrum & imaginem illius) quamvis in potentia proxima
intelligere possimus.

12. Actualis est cum ex specie in mente formata
rem cognosco ipsam & hæc vel est confusa vel distincta.

13. Confusa est, quando rei accidentia apprehen-
dimus externa quædam & communia non dum inte- c z
& Essentia & rei partibus, ut si cognoscam hominem esse
bipedem, equum quadrupedem.

14. Distincta est, cum & accidentia & essentiam
compositiq; partes sive Essentiales sive integrales rectè
cognosco. D 2

15. Ultra q;

15. Utraq; *vel est rei simplicis, vel rei compositæ.* Rei compositæ distincta est, cum intelligo, quare prædicatum in sit subjecto. Confusa verò rei complexæ cognitio est, quando causa ignoratur & tamen intelligitur rem esse complexam.

16. Utraq; *vel est originalis vel habitualis.* Originalis, cujus ante nullum fuit initium *e. g. cum puer intelligit totum pomum esse majus dimidiato.* Habitualis verò est, quæ rem antea cognovit, sed per interpolatam remissionem quievit, tandemq; ad actionem revertitur, *ut Mathematicus peritus demonstrandi triangulum, & somno per aliquot horas sopitus tandem ad demonstrationem revertitur propter habitum crebro repetitarum actionum exercitijs comparatum.*

17. *His præsuppositis dicimus* Ens esse primùm cognitum actualiter, confusè & originaliter, *ut ex dictis satis patet. Unde simul liquet etiam* Entis descriptio (*cum enim supra se aliud genus non habeat, definiri nequit*) quòd scilicet sit, quod primò omnium intellectu nostro cognitione actuali, confusâ, originali percipitur.

18. *Ne verò quid ad explicationem conceptus Entis desit, queritur* 1. An Ens habeat unum conceptum formalem? 2. An conceptus Entis secundum rem & rationem, ab inferioribus suis speciebus sit præcisus? *Quod ad primam questionem attinet, distinguendum est* 1. inter conceptum Mediatum & Immediatum. Mediatum conceptus est, qui significat aliquid mediante aliquo superiori. Immediatus est, qui significat aliquid non per aliquam naturam superiorem, sed per se ipsam primò. *E. g. conceptus animalis significat hominem & bestiam mediatè sive est eorum conceptus mediatum, quia significat ea mediante natura sensibili, Non enim animal hominem significat & bestiam,*
nisi

nisi quia homo & bestia participant naturam sensibilem (vel sensitivam) Natura verò sensitiva conceptus animalis immediatus est. Per se ipsum enim animal significat naturam sensitivam. 2. quod conceptus dicatur unus vel re & ratione simul, vel ratione sola. Iste conceptus est singularis, hic universalis.

19. Hinc respondemus formalem conceptum Entis immediatum secundum rem esse unum, quod ita probamus: Quo audito mens nostra non distrahitur in plures conceptus, illi non respondent plures conceptus, sed unus. Audito nomine Entis mens nostra non distrahitur in plures conceptus Entis E. Enti non respondent plures conceptus. Major probatur, quia audita voce significativa mens format conceptum, qui est formalis, ut patet, quod si illi voci respondent plures conceptus distrahitur mens in plures conceptus, ut audito nomine cancer distrahitur mens in plures conceptus: concipit enim quoddam animal, quoddam sydus, quendam morbum. Unde voci cancer respondent plures conceptus formales. Est enim vocabulum equivocum plura significans. Quandocumq; autem aliqua voce audita mens plures conceptus non format, tunc isti voci unus respondet conceptus, ut audito nomine Homo, mens format conceptum humana natura.

20. Minor probatur. Audito nomine Entis mens non distrahitur, nec format conceptum substantia nec Accidentis, nec Dei, nec creatura, sed quasi colligitur ad unum quod his omnibus commune est. Quod si audito nomine Entis mens format conceptum substantia vel Accidentis, isti conceptus non sunt immediati Entis, sed substantia & Accidentis.

21. Sed & secundum rem est unus, siquidem omne Ens per se singulare est unum secundum rem. Conceptus formalis Entis est Ens per se singulare. Est enim actus sive qualitas in mente formata. E. est unum secundum rem. Major

D 3

patet,

patet, quia omne Ens per se singulare est unum & secundum rem. Minor probatur, quia actus formalis Entis & qualitas mentis citra operationem intellectus in mente existit. At quicquid existit alienum citra mentis operationem, id singulare est, quemadmodum alias probatum dabimus.

22. Alteram verò questionem quod spectat, dicimus conceptum formalem secundum rem & rationem esse precisum sive abstractum ab omnibus inferioribus speciebus (per inferiora intelligimus hic Entia particularia, ut substantias & Accidentia, de quibus Ens dicitur) cogitans enim de Ente non opus habet, ut concipiat conceptum aut substantia aut Accidentis, perinde ut aliquis cogitans de animali non opus habet ut cogitet de inferioribus speciebus ut de homine & bestia, sed format primum aliquem conceptum & communem utrius inferiorum.

23. Et cum th. 21. dictum conceptum Entis formalem esse immediatum unum, utiq; quando queritur de conceptu Entis, quatenus est Ens objectivum, ad hoc itidem respondeamus, dari eum unum adaequatum ab inferioribus Entibus precisum, quod patet ex natura formalis conceptus, ex qua objectivum conceptum Entis unum esse debere satis constat. Cum enim ab objecti unitate unitas formalis conceptus dependeat, sitq; objectivus conceptus nihil aliud, quam objectum per conceptum formalem cognitum, formalis Entis conceptus unus conceptum Entis objectivum unum arguit.

24. Imò si daretur, unum non esse sed è pluribus aggregatum conceptum hunc objectivum, absurdum hoc consequeretur, posse dari plures naturas, è quarum aggregatione objectum emergeret.

25. Cæterum Ens etiam definiri solet, à plurimis quod habet Essentiam, qua tamen simpliciter consistere non potest. Ad

Ad absurdum sic reducitur: Ens est quod habet Essentiam. Essentia est Ens. E. essentia habet Essentiam conclusio est absurda, nam illa Essentia iterum habebit Essentiam, cum sit Ens, & sic fieret progressus in infinitum. E. vel major vel minor. Non minor, quia si Essentia non est Ens, est Non-Ens, & per cons. Nihil. Posterius est absurdum. E. & prius. Major itaq; absurda est, quia est definitio Entis proposita.

26. Vera itaq; de Ente doctrina cognita, necesse est ut circa Entis doctrinam quoq; errores paucis attingamus, inter quos primo se offert **Timplexus**, qui in tribus potissimum nobis contrariatur. Nos docemus, Ens esse primum conceptum ipsoq; nihil esse prius. Ille docet, intelligibile esse primum omnium conceptum adeoq; Entis genus. Nos docemus, Non-Ens non comprehendi sub subjecto Ontologica, ille comprehendi sub eo docet. Nos docemus Essentiam esse Ens. Ille vero Ens & Essentiam realiter differre & species unius generis oppositas esse docet.

27. Prior error ita taxatur; Quicquid est prius intelligibili, ejus genus non est intelligibile. Ens est prius intelligibili. E. ejus genus non est intelligibile Major patet, quia omne Genus est prius specie. Si igitur intelligibile non est prius Ente, sed potius Ens est prius, intelligibile Entis genus nunquam erit. Minor probatur intelligibile est aliquid relativum, dicit enim respectum & relationem ad intellectum, E. dabitur eo quid prius, siquidem omne relativum presupponit aliquod absolutum, quod ipso prius quodq; ejus fundamentum est.

28. Illud quod est intelligibili prius, aut est Aliquid, aut Aliquid Positivum, Aut τ Aliquid commune τ aliquid & Nihil. Aliud enim quod sit prius Intelligibili juxta **Timpl.** colligi non potest. Prius Intelligibili non est Aliquid commune τ Aliquid & Nihil, quia nihil aliud commune τ Aliquid & Ni-

& Nihil statuit Timpl. quam ipsum intelligibile. At intelligibile non est prius seipso, nihil enim seipso prius est. Si verò \rightarrow Aliquid positivum est prius intelligibili, etiam \rightarrow Aliquid est prius Intelligibili, quia omne quod est Aliquid Positivum est etiam Aliquid simpliciter, porro si \rightarrow Aliquid est prius Intelligibili etiam Ens est prius Intelligibili. Ens enim & Aliquid sunt idem & aequè latè patent. Quod si Ens est prius Intelligibili, habemus quod volumus, nempe Intelligibile non esse genus Entis.

29. Altera questio decisa est preced. disputat. th. 48. Tertia itaq; decidenda restat, quod hoc modo fiet: Nulla species ingreditur definitionem speciei oppositæ; quia sunt contraria & sub uno genere maxime distant. Atqui juxta Timplerum Essentia ingreditur definitionem Entis & ejus quasi formam constituit. E. non sunt species oppositæ. Deinde abstractum & concretum forma & formatum non sunt species unius generis sed ad eandem speciem pertinent. At Ens est concretum (si nempe participialiter sumatur) & formatum. Essentia est abstractum & forma, juxta sententiam Timpleri.

30. Secundo se offerunt recentiores (& cur non liceat nominare) Lippiani, qui Ens hoc modo definiunt. Ens est quod principiis suis effectum habet suam Essentiam, & ita volunt, omne Ens esse ex suis principiis compositum, quæ etiam ratio est, quod compositionem affectionem Entis perfectionalem statuunt.

31. Hic primo respondere possemus Ens in sua latitudine non habere principia, de qua questione alias ov̄ Jt̄o erimus solliciti, tamen ex ipsorum hypothesi interim ponamus, Ens habere principia, ex quibus hoc modo argumentamur: Si Ens est quod principiis suis effectum habet Essentiam, principia
Entis

Entis non erunt Entia, post. est absurdum. E. & prius. Consequentia majoris probatur, quia principia Entis non constant suis principijs, vel si sunt effecta suis principijs veniendum sane erit ad principia Entis aliqua, quæ non constant suis principijs, quæ ita non erunt Entia, aut dabitur progressus in infinitum.

32. Sed consequentiam hanc in majore forsan non negant, siquidem ipse Lippius l. i. Metaph. c. i. de princ. Entis eam concedit, minorem verò non esse absurdam putant, dum dicunt, principia Entis quidem non esse Entia, esse tamen Entis. l. c. Neesse itaq. habemus, ut minorem probem, absurdum nimirum esse, principia Entis non esse Entia, quod ita fit: Ex non-Ente simpliciter non fit Ens per modum compositionis. Ex principijs Entis fit Ens per modum compositionis, juxta ipsorum sententiam, quando volunt omne Ens esse compositum. E. principia Entis non sunt non Entia. Major vera est, quia ex nihilo nihil fit, sive ex nihilo non fit aliquid per modum compositionis. E. nec ex non-Ente fit Ens per modum compositionis, quia Ens & non-Ens aliquid & nihil sunt termini equipollentes.

33. Per modum compositionis addimus, ut scias impossibile esse effici ex nihilo aliquid, ut ex eo componatur, quemadmodum illi volunt, dum omne Ens esse compositum, & ita ex suis principijs tanquam componentibus effici statuunt.

34. Sed possent instare, & dicere Ens accipi dupliciter vel latè vel strictè. Si latè & improprie Ens sumitur, principia Entis esse Entia, si verò strictè & proprie accipiat, principia Entis non esse Entia sed solum Entis. Idcoq. huic instantia contravenimus. Cui competit definitio Entis proprie accepti, id est proprie Ens. Principijs Entis convenit definitio Entis proprie accepti: E. principia Entis erunt proprie Entia. Minor probatur, Definitio Entis proprie accepti est, quod sit id, quod tanquam notissimum primum ab intellectu cognoscitur. Hoc

E

autem

autem competit principijs Entis. Principia enim Entis ab intellectu cognoscuntur, & hoc primum in illis cognoscitur, quod sint Entia: Per principia enim Entis demonstrantur affectiones de Ente, quod fieri non potest nisi principia cognoscantur ab intellectu.

35. Quod verò omne Ens non sit compositum, aliàs videbimus, hoc loco pro instantia sume DEUM. DEUS non est compositus. DEUS est Ens. E. quoddam Ens non est compositum & per consequens omne Ens esse compositum & ex suis principijs effectum falsum est, quod erat probandum.

36. Cognita itaq; Entis natura & descriptione varia Entis distinctiones quoq; erunt consideranda. Ens in sua latitudine aut est complexum aut Incomplexum Arist. in Anrepræd. c. 2.

37. Incomplexum illud dicimus, quod prima intellectus dictione eaque simplici constituitur & intelligitur. Primum hoc incomplexum est ipsum Ens, ad quod omnium simplicium animi venientiarum summa redit. Complexum est, quod secunda intellectus operatione, nempe compositione ac divisione sive affirmatione ac negatione conficitur.

38. Porro Ens incomplexum variè distinguitur 1. Aliud est Ens per se, aliud Ens per Accidens l. 3. Met. c. 7. Ens per se dupliciter sumitur. 1. quod significat propositionū veritatē. 2. prout per decē genera dividitur & essentiā denotar.

39. Ens prout significat veritatem propositionum, secundum Thom. de Ente & Essen. est, de quocunq; affirmativa propositio formari potest, etiam si in re nihil ponat. Unde patet, hoc modo contradistingui Enti per Accidens, verum potius ei quod simpliciter non Ens est, quia etiam de Ente per accidens affirmativa potest formari propositio; nisi velimus Ens significans veritatem propositionis, ut Aristotelem & Thomam salvemus, distinguere in id, prout opponitur Nihilo, & id, prout opponitur Enti per Accidens.

40. Ens

40. Ens per se secundo modo comprehendit quæ sunt ejusdem prædicamenti & ita Ens per accidens excluditur. Ens verò per accidens nominamus, quod collectum & aggregatum est pluribus Entibus, quorum unum non est de qualitate alterius.

41. Ens verò per accidens constituimus quadruplex, (tres enim Entis per Accidens species, quas plerumq. Interpretes numerare solent non sufficere videntur) unum quidem, quando accidens de accidente dicitur, eò quod utrumq; uni subjecto inesse deprehenditur, quomodo album est doctum, Musicus est doctus, Ens per accidens statuitur: alterum, ubi subjectum & accidens inhxrens conjunguntur, quomodo Ens per accidens est, homo est temperans, Tertium quando subjectum accidenti tribuitur, ut justus est homo, Quartum deniq; Ens per accidens est ex duabus vel pluribus substantijs completis, aut ex quibuslibet pluribus Entibus completis ejusdem prædicamenti, ut acervus lapidum.

42. Deinde aliud Ens est Positivum aliud privativum, experimur n. quotidie & habitus & privationes in natura dari.

43. Ens positivum est vel ipsa Essentia vel quod Essentiam habet, quando nempe Essentia cum existentia conjungitur, ut visus est Ens positivum, quia est ipsa virtus & facultas videndi in oculo.

44. Ens privativum non negatio Essentiæ seu formæ in subjecto habili. Sic Cacitas est Ens privativum. Est enim privatio visus in oculo.

45. Hic obiter queri potest, an etiam privationes sint Entia? Resp. ex distinctione thesi 38. data. Si Ens sumitur prout in decem prædicamenta dividitur & Essentiam denotat, utiq; privatio non est Ens: quicquid enim est aliquod esse, vel est esse substantiale vel est esse accidentale. Atqui privatio non est esse substantiale, nec accidentale E. nullum est esse. Minor patet e. g. Socratem esse cæcum non est substantiale, quod verò

nec accidentale sit, perspicitur, quia Socrates fit cecus sola absentia visive virtutis, qua nihil supra Socratem addit, neq; in eo aliquam ponit Entitatem. Unde quisq; videt, cum privationes non ponant essentiam, sed potius negent eam, non esse hoc modo Entia.

46. Si verò Ens sumitur, ut significat veritatem propositionis, privationem Ens esse negari nequit. Siquidem quicquid est circa mentis operationem est Ens. Privatio est circa mentis operationem. Nam Socrates est cecus non per mentis operationem: nullo enim intellectu cogitante cecus est. E. est Ens, non verò Ente accepto in primo modo. E. in secundo.

47. Alterius Ens sumitur vel Adjectivè vel Substantivè. Ens adjectivè sumptum participium est. Substantivè, nomen verbale, de qua distinctione vide: thes. 3. disputationis hujus.

48. Ens præterea distinguitur in Ens actu & in Ens potentiâ. Nota hoc l. ex CL. Jacob. Martin. distinctionem hanc esse ambiguum. Primo enim ita distinguitur Essentialiter, ut sit quasi divisio unius communis Entis in diversa Entia. Sicuti si de rosa, quæ jam actu est, enunties, quod sit Ens, de alia iterum, quæ actu non est, sed in potentia adhuc, hoc est, in principijs suis & causis. Utraq; rectè dicitur Ens. Altera tamen Ens actu, altera verò potentiâ.

49. Deinde applicatur Ens & potentia diversis statibus ejusdem Entis secundum rationem existendi, nempe quod idem aliquando sit actu, aliquando potentiâ. Ut eadem rosa, quæ hyberno tempore fuit in suis causis atq; adeo Ens potentiâ, æstivo est extra suas causas & Ens actu.

50. Tandem hæc divisio potest applicari ad unum Ens, quod non amplius est in potentia, sed jam actu existit, nempe ut actus dicat ipsam actualem existentiam ejus rei quæ est; potentia verò accipiat pro ipsa possibilitate in re, quæ ipsa res actu existens est possibilis, ut ita existat, sic rectè dico cælum posse moveri, cum tamen jam actu moveatur. Esse enim & posse esse subalternantur, non opponuntur, sicut aliquis simul ridet, & dum ridet, potest ridere, Et quando Ens definitur id, quod est, simul rectè dico, Ens est id, quod potest esse.

51. Deniq; Ens vel est reale vel rationis. Ens reale est, quod esse suum à natura & in natura, non verò à mente nostra habet, quodq; vel homine non cogitante revera est.

De Ente rationis postea.

Entis non erunt Entia, post. est absurdum. E.
quentia majoris probatur, quia principia Entis
suis principijs, vel si sunt effecta suis principijs
sane erit ad principia Entis aliqua, quae non co-
cipijs, quae ita non erunt Entia, aut dabitur
finitum.

32. Sed consequentiam hanc in majoribus
gant, siquidem ipse Lippius l. i. Metaph. c.
tis eam concedit, minorem verò non esse absurda
dicunt principia Entis quidem non esse Entia,
l.c. Neesse itaq; habemus, ut minorem probemus
esse, principia Entis non esse Entia, quod ita fit
simpliciter non fit Ens per modum compositionis.
Entis fit Ens per modum compositionis, juxta
tiam, quando volunt omne Ens esse compositum
Entis non sunt non Entia. Major vera est
nihil fit, sive ex nihilo non fit aliquid per modum
E. nec ex non-Ente fit Ens per modum composi-
& non-Ens aliquid & nihil sunt termini aequi-

33. Per modum compositionis addimus
bile esse effici ex nihilo aliquid, ut ex eo compo-
modum illi volunt, dum omne Ens esse compo-
suis principijs tanquam componentibus effici st-

34. Sed possent instare, & dicere Ens
vel late vel strictè. Si late & improprie Entis
pia Entis esse Entia, si verò strictè & proprie
cipia Entis non esse Entia sed solum Entis. Ita
tia contravenimus. Cui competit definitio E-
pti, id est proprie Ens. Principijs Entis conveni-
proprie accepti: E. principia Entis erunt proprie
probatur, Definitio Entis proprie accepti est,
tanquam notissimum primum ab intellectu

E

